

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sex. Aurelii Victoris Annibal Carthaginis dux & P. Cornelius Scipio Africanus**

**Aurelius Victor, Sextus**


**Helmaestadii, 1602**

[urn:nbn:de:bsz:31-131576](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131576)



~~D. 446~~ <sup>to</sup> Karlsruhe 426











Sex. Aurelij Vi-  
ctoris

**ANNIBAL**  
Carthaginiensis Dux:

&

**P. CORNELIVS**  
SCIPIO Africanus.



HELMÆSTADII,  
In acad. Iulia excudebat Iacobus Lucius.

Anno 1662.





## Annibal, Carthaginiensis Dux.

**A**NNibal Amilcaris filius, nouem annos natus, à patre aris admotus, odium in Romanos perenne iurauit. Exinde socius & miles in castris patris fuit. Mortuo eo causam belli quærens, Saguntum Romanis foederatam intra VI. menses euertit. Tum Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem apud Ticinum; Sempronium Longum apud Trebiam; Flaminium apud Trasimenum; Paullum & Varronem apud Cannas superauit. Cumq; urbem capere posset, in Campaniam deuertit; cuius delicijs elanguit. Et cum ad tertium ab urbe lapidem castra posuisset, tempestatibus repulsus primum à Fabio Maximo fractus, deinde à Valerio Flacco repulsus, à Graeco & Marcello fugatus, in Africam reuocatus, à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriae confugit, eumq; hostem Romanis fecit. Quo victo ad Prusiam Bithyniæ regem concessit: vnde Romana legatione (per Tit. Flaminium) repetitus; (ne Romanis traderetur,) hausto, quod sub anuli gemma habebat, veneno, absumptus est; positus apud Libyssam in arca lapidea; in qua hodieque inscriptum est, ANNIBAL HIC SITVS EST.

REPERITVS EST  
In arca lapidea ex arca Libyssa



P. Cor-

20





P. Cornelius Scipio Africanus.

**P**ublius Scipio, ex virtutibus cognominatus *Africanus*, Iouis filius creditur. Nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit: & ipsi paruulo draco circumfusus, nihil nocuit: in Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatrauerunt. Nec hic quidquam prius cœpit, quàm in cella Iouis diutissimè sedisset: quasi diuinam mentem acciperet. Decem & octo annorum, patrem apud Ticinum singulari virtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes, Italiam deserere cupientes, sua auctoritate compescuit: reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit. Vingtiquatuor annorum, Prætor in Hispaniam missus, Carthaginem (nouam) qua die venit, cepit virginem pulcerrimam, ad cuius adspectum concurrebatur, ad se vetuit adduci, patrique eius ac sponso restitui iussit: Asdrubalem Magonemq; , fratres Annibalis, Hispania expulit: amicitiam cum Syphace Maurorum rege coniunxit: Massanissam in societatem recepit. Victor domum regressus, consul ante annos factus, concedente collega, in Africam classe traiecit: Asdrubalis & Syphacis castra vna nocte perrupit: reuocatum ex Italia Annibalem superauit: victis Carthaginensibus leges imposuit. Bello Antiochi, legatus fratri fuit: captum filium gratis recepit. A Petillijs ac Næuio Tribunis plebis repetundarum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit: *Hac die, inquit, Carthaginem vici: Bonum factum: in Capitolium eamus, & dis supplicemus.* Inde in voluntarium exsilium concessit: vbi reliquam egit ætatem. Moriens ab vxore petijt, ne corpus suum Romam referretur.

F I N I S.







